



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XXVIII. De Eusebio Pamphili.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XXVIII.

D E

*Eusebio Pamphili.*

**E**usebius Cæsarensis in Palæstina presbyter ab Agapio ordinatus, postea ibidem Episcopus, cognomento Pamphili; non ab urbe quadam, vel Episcopatu Phili ut Turpiter hallucinatus putavit Eutyrius: sed quod sancto presbytero & Martyri Pamphilo, arque suo, si Nicephoro Calixto credatur, avunculo fuerit in vita & morte conjunctissimus, floruit initio sæculi IV. Vir fuit ea tempestate famigeratissimus, ingenii sublimis, fidæque memoriæ, qui multigenam eruditionem labore indefesso sibi comparaverat, ut ejus lucubrationes abundè perhibent. Constantino Magno ob doctrinæ excellentiam & oris facundiam admodum charus; cujus Imperatoris vitam quatuor libris egregiè conscripsit. Plurima alia sui facundissimi ingenii reliquit monumenta, quorum tamen pars magna interisse creditur. Inter ea, quæ adhuc extant palmam faciliè obtinebunt libri decem Historiæ Ecclesiasticæ, quos admiranda industria ac studio prodigioso ex variis diversarum Ecclesiarum tabulinis & archivis politè concinnavit; quæ à Christi incunabilis ad sua tempora gesta sunt, satis accuratè referens; merito propter hoc Ecclesiæ protonotarius, &

historiæ Ecclesiasticæ primus conditor appellatus, quam alii deinde pari diligentia persecuti sunt. Eundem Gelasius Cyzicenus nuncupat Ecclesiastici fundi præstantissimum aratorem, veri studiosissimum & inter veteres Ecclesiasticos Historicos fide dignissimum, ter quaterque in peregregiis lucubrationibus fœlicem. S. Hieronymus ipsam vocat doctissimum & *Epist. 69.* scribit, quod sit claris scripturarum, & custos Novi Testamenti. Neque unquam defuere magni nominis Scriptores, qui suis calamis Eusebium justis encomiis exornarunt. Inter eos quoque extiterunt, qui lividum gestabant pectus, & livorè de causa ipsi adversari videbantur. Nam ut flamma firmior non surrexit unquam sine fumo, sic nec fama sine nube aliqua livoris, ut Lipsius scribit in *Cent. ad Belg. Epist. 24.*

Duo autem potissimum sunt, quæ de vita hoc passim narrantur, quæ, si vera forent, utique gloriam nominis sui plurimum obscurarent. Unum, quod, mortis sibi intentatæ metu percussus, fidem Catholicam abjuraverit, imo diis adoleverit. Alterum, quod Ariana hæreseos fuligine sese deæderit.

Prius delictum gravissimum habetur ex Epiphano



Epiphani heres. 68. n. 7. ubi in Synodo Tyreni: Potamonem sic inducit loquentem. Tunc Eusebi sedere audes, & Athanasium innocentem a te judicari; Nonne mecum fuisti in carcere tempore persecutionis? Et ego quidem oculum amisi pro veritate; tu vero nihil mutilatum in corpore habere videris; neque testimonium per confessionem tribuisti: sed steris vivens, nulla parte detruncata. Quomodo discessisti à carcere, nisi quod promissisti his, qui necessitatem persecutionis nobis intulerunt: id, quod nefarium est, te facturum esse, aut sanè fecisti? Hujus quidem rei absurdissimæ exprobrationem acerbillimam Eusebius sustinere debuit in publico illo confesso: fama que de illo spargebatur, quod in persecutione Diocletiani & Maximiani cum pluribus Christianis carceri inclusus, unde Pamphilus presbyter, alique duodecim educti, in confessione veræ fidei perseverantes, martyrii coronam adepti sunt; ipse autem Eusebius, ut relaxaretur, fidem turpiter ejuraverit.

Tunc vir Apostolicus, nunc vilis Apostata factus, ut Sedulius scribit de Juliano. Insuper ex Concilii Alexandrini actis habetur, quod Eusebius de Apostasia accusatus, confessus sit, quod diis immolaverit. Optima autem probatio est propria Confessio.

Quod si Eusebius desuper ad forum putealique Libonis adduceretur, reperiret plures suæ causæ advocatos. Interim pauci sunt ex modernis, qui huic narrationi fidem adstringere volunt, quam tamen Baronius, pro suo in Eusebio affectu, facilè accommodasse legitur; cum in Annalibus hunc inter Apostatas recensent. Nihil fecius.

Ab hoc tam immani scelere Eusebium vindicant Valesius, Du Pin & eruditi passim hujus ævi optimæ notæ Critici, qui, dum Epiphani nimiam, tum hinc, tum alibi observant credulitatem, insuper illius in Eusebium, Origenis defensi causâ, exacerbatum animum deprehendunt, non magis

hujus, quam unde desumpsit, unius Potamonis Episcopi, zelum sine discretionem habentis autoritate moventur, ut vetum censeant, quod nemo ex Eusebii æmulis, quantumcunque infestis, quos plurimos sensit, illi unquam oggessit; qui utique non tacuissent, si, vel ex sola fama tantæ criminis ignominia ipse laborasset. Haud dubiè Potamon faciem perfricuerat, quando non erubuit in ipso Concilio caluniam viro huic impingere, & scelus in faciem objicere. Est correptio mendax in ore contumeliosi. Eccles. 19. Constat quidem Eusebium carceri cum cæteris fuisse mancipatum: quæ ratione liberatus fuerit, non constat: Neque tamen ex sola evasione vel levissima formari poterit de Apostasia viri conjectura: cum potuerit, integris membris dimitti, cessante persecutione, seu aliorum interventu, & quo tempore favorabile prodierat Christianis Galerii edictum.

Profectò nunquam fuisset Eusebius, hæc abominabili impietate conspurcatus; in Cathedram Cæsareensem locatus, neque, posthabitis tot viris inclytis, in Archi-Episcopum Anthiochenum postularus; neque in tanta præcæteris æstimatione apud Imperatorem Constantinum habitus, si falsi fictique Numinis cultor, abjurata vera religione, aliquando extitisset.

Acta Concilii Alexandrini, de quibus supra, à malevolis obrectatoribus sine dubio fuerunt falsificata, dum in iis continetur, quod Eusebius fuerit confessus, quæ nunquam commisit.

Major est de ejusdem Eusebii orthodoxia inter litteratos controversia; quæ sat plausibilibus utrimque argumentis & oppugnatur, & propugnatur.

Eusebium Pamphili Episcopum Cæsareensem Ariana hæresi infectum adstruunt S. Hieronymus, Eustatius Antiochenus, Marcellus Ancyr; Episcopi, S. Athanasius, S. Epiphanius, Phorius, Zonaras, Nicepho-



rus, ex recentioribus Baronius, Canus, Petavius, Maimbourg; Nat. Alexander in speciali *dissert. 14. sæculo IV.* Norisius, Hermantius, Tillemontius, Valesius usque ad Nicænum Concilium eum hæreticum fuisse autumant &c. alique non pauci, quorum rationes potissimum hæ sunt.

I. Eusebius illos sugillat, & carpit eos, qui dicunt non esse Filium Dei ex nihilo productum, illum esse Patri æqualem. Filii quoque consubstantialitatem ubique detrectat agnoscere. In Epistola ad Ecclesiam suam Cæsareensem, quam subsignavit, dilucidè mentem suam explicat in eo, quod dum dicitur Filius Patri consubstantialis, intelligendum sit, quod Filius non sit similis creaturis, quæ per ipsum factæ sunt; & quod perfectam habeat cum Patre, à quo creatus est, substantiam: non verò sit unius hypostasis cum illo & substantiæ. Eadem docet in libris contra Marcellum. In Libro de *Theologia Ecclesiastica* non veretur scribere, quod Christus nequaquam sit Deus; & inter creaturas eundem recenset. Similiter haud obscure insinuat in Libro de *Præparat. Evang.* Et clarè prodit *Lib. 10. H. E. cap. 2.* hisce verbis *Jesus præterea Moysis successor, eum, cum non alia, quam humana forma ac specie sibi apparentem conspicatur; utpote celestium Angelorum, Archangelorum sublimiumque Potestatum ducem; & cum Patre virtute & Sapientia ex æquo insignem & universam terram, & in univrsarum rerum regno ac Principatu secundas NB. à Patre obtinentem summum exercitus Domini imperatorem nuncupat.* Eiusdem planè commatis sunt, quæ habentur loc. supra cit. tum *cap. 3.* tum alibi. Ex quibus Zonaras, ut Curterius annotavit apud interpretem Dadraem loc. cit. ad marginem *cap. 2.* Eusebium Arianismi non immeritò insinuat.

II. Sancta Oecumenica Synodus VII. quæ est secunda Nicæna, Eusebii damnavit memoriam. Cum enim *Actione 51.* Icono-

machi pro se Eusebium citassent testem; & lecta fuisset ejusmodi Epistola, in qua Ario consentiebat: Tharasius rogavit. Recipimus hoc? Sacra verò Synodus dixit. Nequaquam. Hic reliquis est nobis majori odio prosequendus. Et Legati Adriani Pontifici dixerunt. Ipsa lectio judicet, quod Arianorum sententiam sapiat. Habet enim Amelctus Eusebii liber & alias blasphemias, quas Synodus audire respuit. Sanctissimus Patriarcha dixit. Libros illos rejiciamus & anathematizemus. Et *Act. 6.* Epiphanius respondens testimonio Eusebii, Eusebius, inquit, ab illis in testimonium vocatur, qui tamen ab omni Catholica Ecclesia Ariane hæreseos defensor esse cognoscitur: quem admodum in commentariis suis & omnibus à se libris editis manifestum sit. Et posterus. Quis fidelium Ecclesiæ dubitat Eusebium Pamphili in reprobum sensum traditum Ari placitis contempsisse? Nam in cunctis historicis suis libellis Filium creaturam vocat, subministrum, secundo loco adorandum. Hoc ipsum postquam Epiphanius ex multis Eusebii locis probasset, tandem asserit. Eusebium duplicis animi fuisse; & hominem verispellem inconstanter Synodi Generis Nicænae decretis subscripsisse. *Labii veritatem honoravit, animus verò longè ab eberat, ut ostendunt scripta ejus & Epistola omnes.* Pronuntiatum est: *Cit. Con. VII. Act. V.* ubi Patres adducunt rationes solidas, quod subscriptio eum ab hæresi justificare non possit.

III. Fuit Eusebius Ariani Episcopis familiarissimus & continua factione horum sectariorum fautor studiosissimus, qui interfuit Conciliabulo Antiocheno, in quo istius loci Episcopus injustè fuit exauctoratus, & ipse in sedem susceptus. Interfuit quoque, imo præfedit Conciliabulo Tyrio, in quo S. Athanasius, Arianorum impugnator invictissimus, fuit damnatus, sicut perhibet Nicephorus *Lib. 8. cap. 49.*

Associari



Associavit se pariter Congregationi Episcoporum Hierosolymis in dedicatione templi, à quibus fuit ablegatus ad Imp. Constantinum, ut defenderet ea, quæ contra Athanasium fuerant decreta. Ipse quoque Arius hæretarcha non obscure in Epistola significat sese suæ Eusebium habere fautorem sententia. Merito itaque à S. Hieronymo appellatus Arianorum lignifer. De quo in *Epist. ad Pamphilum & Oceanum*. scribit: *Ecclesiasticam publice Eusebius historiam texuit; sed impietatis Arii apertissimus propugnator. Et ad Cressiphontem. Eusebium Casareensem Arianum fuisse, nemo est qui dubitet, aut nesciat. Denique Lib. 2. cont. Ruffin. Vir doctissimus Eusebius. Doctissimum dico, non Catholicum.*

IV. Affectatum in historia Ecclesiastica silentium de iis, quæ in Concilio Nicæno sunt gesta; & tepiditas illa, quæ observatur, dum de hac Generali Synodo, in vita Constantini quædam paucis perstringit, abundè indicat, cui parti Eusebius adhæserit. Insuper dogma fidei, quo Arius fuit prostratus, ibidem vafre dissimulat, in Paschatis questionem, quasi aliud agens, repente digressus. Atque hæc omnia & singula bene perpenfa, Eusebii orthodoxiam infringunt.

Eusebium Catholicæ & Apostolicæ fidei cultorem habent Sozomenus *Lib. 2. cap. 17.* Socrates *Lib. 1. cap. 1.* ex Latinis Victorius, Gelasius Cyzicenus, ac nonnulli ex Antiquis, qui virum hunc egregiis laudum titulis exornarunt; ut & posteri, qui eundem aut perpetuò sibi constantem, aut saltem post lapsum resipiscentem exhibent: quales sunt Trithemius, Genebrardus, fusè & pereruditè H. Valesius, Halloixius, Du Pin. Wilh. Cave in apolog. Florentinus, PP. Benedictini Congreg. S. Vanni, Cousinus insignis causarum Eusebii advocatus, multique Classici scriptores Eusebium in fidei materia non aberrasse defendunt.

I. Eusebius *Lib. 10. H. E. cap. 4.* in præclara illa oratione panegyrica, pro Ecclesiarum ædificatione abs se recitata, ac Paulino Tyriorum Episcopo dedicata verbis disertis fidem suam de Christo profiteretur; quem non modo dicit Dei Filium; sed per se Deum adorari. Qui unicus Valesio sufficit locus ad repellendas omnes calumnias eorum, qui virum hunc Arianæ contendunt hæreseus labæ aspersum fuisse. Intignis quoque locus est in *Orat. de laud. Constantini cap. 2.* de Filii Divinitate, ubi legitur. *Quandoquidem (Christum) nos & agnoscere debemus & contemplari in materia quidem & corporum elementis ubique presentem & cuncta animalia generantem, eundem lumen & inexplicabilis luminis fontem: qui substantia quidem unus est, utpote ex uno editus Patre. Nec alia loca defunt in Lib. de preparat. Evang. Demonstrat. Evang. in quibus hanc de Christo fidem apertissimè enuntiat, ut deluper à nemine possit justè conveniri. Certumque est, quod Eusebius principalem Arii errorem omnino detestatus fuerit, scilicet, quod Verbum sit creatum ex nihilo; quod sit inæqualis Patri, & quod tempus fuerit, in quo non fuit Verbum.*

II. Vir ille scientissimus, sed minus circumspectus, quem *cod. 13.* Photius affectuum constantiâ indigere scribit, nimiumque Eusebii Nicomedienfis cognati sui, vaferrimi Ariani dictis credulus circa vocem CONSUBSTANTIALIS primò hæsitavit paululùm, ut Author est Sozomenus *Lib. 5. cap. 6.* Attamen in Synodo unà cum cæteris omnibus (verba sunt Socratis *Lib. 1. cap. 10.*) hoc est universa multitudine consensu atque subscripsit.

Idipsum in comperto habetur ex ipsius Epistola, exarata ad suos Diocesanos, quam citatus Socrates capiti sequenti inserit. Sanctus quoque Athanasius Episcopus de sincero Eusebii sensu, & integra illius fide multifarium exhibet in variis Epistolis testimonium.



In ea, quam ad Episcopos Africanos scripsit, de ipso subjungit. *Cum prius suffragatur Arianae factioni, postea tamen Nicæni Concilii decretis subscripsit, & apud suos id ipsum propriis literis asseveravit cuius verba hæc sunt* &c. Novimus quosdam ex præcis eruditos & præclaros Antistites aliosque Scriptores, dum de Deitate Patris & Filii tractarent, voce CONSUBSTANTIALIS usos esse. Quod si forsitan Eusebius hæreticorum pravitate, subdolo agendi modo (hi ut Cyprianus cont. Demetr. rectè observat, malent sua imprudenter ingerere quàm nostra patienter auscultare) circumventus, & aliquando tergiversatus fuerit de Christo, Dei Filio ingenuè profiteri, quod sancta tenet Ecclesia Catholica; aut facturientium fautor extiterit, atque adeo Ariænorum perversa dogmata suo calculo approbare, vel etiam defendere notatus fuerit; ad primum Concilium Occumenicum, apud Nicæam celebratum, accedens, errorem perniciosum, postquam aliquamdiu hæstasset, tandem deposuit, Patrum sententiam definitivam humiliter secutus, eorundem jussu Symbolum illud celeberrimum, quod Nicænum dicunt, composuit; & in fidei suæ testeram his legendū confirmandumque submissè obtulit. In hoc autem Symbolo hæretica Ariænorum pravitas validè conteritur, nihilque ejus editioni tunc vel additum vel subtrahum, quod usque in hodiernum diem in Ecclesia Catholica sub Missarum solemnibus publicè decantatur. Hunc in modum Eusebium tuetur Doctissimus Abbas Spanheimensis Joannes Trithemius *Lib. de Script. Ecclesiast.*

III. Eusebius Pamphili non solum à Petro de Natalibus, aliisque Hagiographis inter Sanctos recensetur; sed etiam in diversis Ecclesiis Gallicanis hodièdum publico dulciæ cultu afficitur. In Missali Lemovicensi, quod Anno 1484. impressum Missa de illo extat. In Breviario, Anno 1587. typis commisso,

præter orationem habentur tres Lectiones propriæ. In Martyrologiis Ussardi, Adonis, Notkeri, Flori &c. die 21. Junii Eusebius recensetur sanctus. Baronius quidem arbitratur hoc per errorem, ob nominis identitatem, contigisse; atque hac conjectura ductus, Eusebium Cæsareensem è sacris Dyp-tichis expunctum voluit, quando jussu Gregorii XIII. P. M. martyrologium, antequam Cardinalis esset, corrigens, & resciscens, quod postridie Eusebius Samosatenus martyr coleretur apud Græcos, suis persuasit Collegis, ut, repudiato Eusebio Pamphili, Samosatenus substitueretur. Interim quorundam est opinio, multis Patribus primorum sæculorum sancti Titulum vulgò adscribi, qui cum cum haud majoribus meritis acquisiverunt, quàm habuit Eusebius. Nihilò secius neque Eusebio Cæsarensi, neque Clementi Alexandrino, neque Lucifero Calaritano, neque Fausto Regensi, neque aliis, quibus hujusmodi etiam fors sinistra obvenit, Baronius præjudicat aut conjectura aut censura, quando eorum nomina creduntur scripta in libro vitæ, quæ nunc in impresso libro illo observantur deesse. Id certe extra controversiam est, sicut observat Joannes Baptista Sollierius, in Martyrologio Ussardi à se edito, ad diem 21. Junii, totis septem & amplius sæculis, saltem ex quo Martyrologium Ussardi in Ecclesia Occidentali receptum est, Eusebii illius cum Sanctis reliquis memoriam in Sacris Fastis celebratam; quod manifestè probat cœlestium honoribus cultum fuisse. Licet ergo in hodierno Martyrologio Romano Baronius, qui, ut Valesius in not. ad vit. Cons. Lib. 3. cap. 59. pluribus an. madvetit, Eusebio semper infestus fuit, nullam penitus viri hujus memoriam in Benedictione relinqui voluerit; antiquissimum tamen martyrologii Hieronymiani egraphum, quod est in Monasterio Epternacensi, terricori Luzenburghensis, quo S. Wilirordus ejusdem Monasterii fundator ante annos mille usque fuisse



fuisse putatur, in scriptum habere Eusebii historiographi nomen omnes ultro admittunt, eodem Solterio teste. Etsi postea recentiori manu in aliis tum Hieronymi tum Ussuardi & aliorum martyrologiis aut immutatus locus Episcopi Casarea Capadocia pro Casarea Palestina, aut nomini adjunctum Samosatensi; id quidem Eusebio Pamphili ad veterantibus commodum visum fuit, ut inter filios excussorum reputarent. Perstat nihilominus pro ejus sanctitate conservanda & tuenda omnis hac in parte tam valida antiquitas; quando conformiter decreto Urbani VIII. P. M. cultus alicui attributus, prout Sancto, annis centum ab edita bulla publicè constanterque exhibitus efficit, ut deinceps pro tali habeatur & colatur. Igitur privato iudicio novitati non liceat convellere antiquitatem; sicut Cardinalis Tom. 10. *Annal. in addit. ad Annum 499.* dicitur, retractans ea, quæ Tom. 6. ad eundem annum de Fausto Regensi tamquam hæretico scripserat, cujus nomen in Martyrologio Romano per Molanum primò fuerat expunctum. Cum enim Eminentissimus accepisset, quod Ecclesia Regensi in Gallia eundem Faustum ut sanctum coleret, ejusque natalem publico officio die 27. Januarii celebraret, ibique in ejus memoriam antiquitus insignis fuisset erecta Basilica, in qua illi perpetuus cultus delatus fuisset, subdit. *Maneant igitur Fausto integra sua jura: nec ex nostris scriptis sentiat præjudicium; neque privato iudicio novitati liceat convellere antiquitatem.* Hunc Faustum cum aliis Ecclesiæ Cabillicensis & Lemovicensis dulci cultu hodie dum prosequuntur: cumque pariter Eusebio Pamphili hujusmodi cultus deferatur: eidem quoque integra sua manent jura. Neque ex hac re legatione, aut adductis supra argumentis eadem labefactari debent.

Ad Primum Respondetur, quod ex locis designatis Eusebius aperte & certò non convincatur hæresis Arianae infectus labe: quan-

do quidem etiam patiantur sensum Catholicum, quem authorem intendisse inde prudenter colligitur, quod alibi disertè Christum Deum æqualem Patri profiteatur. Quod si aliquam inter Patrem & Filium videatur constituere inæqualitatem, intelligi potest, quantum ad hoc, quod Filius, Deus de Deo, substantiam à Patre, non contra Pater à Filio recipiat: aliàs ab hoc errore redditur immunis. *Nam quod quidam, inquit Halloixius, in Origi. defen. Lib. 4. Quest. 1. §. 5. putant errores fuisse in illo, ostendam fuisse Græcorum sanctorum Patrum, quos ipse imitari studuit, vulgatas opiniones, nec pro errore, tunc habitas.* Quod Halloixius contendit, celebratissimus Peravias in *Dogmatibus* eleganti stylo ex PP. nervosè & diligenter conscriptis, esto nondum ad finem perductis, egregiè quidem evincere conatus est, forsitan haud satis circumspèctè, dum persuadere voluit Athenagoram, Tatianum Theophilum, Tertullianum, Lactantium credidisse Patrem esse seniore, Verbum habuisse initium instar aliarum creaturarum; Omnes Patres ante Concilium Nicænum, in Articulo de Sanctissima Trinitate eundem errorem erravisse, quem postea ipsum Concilium damnavit, & contrarium fidei Articulus esse cœpit. Hoc quidem vir sapientissimus ob multorum inde offensionem eruditissima & terete præfatione, secundo Tomo præfixa, corrigere & mitigare nisus fuit, quasi Patres illi substantiam ipsam dogmatis tenentes, non semper satis clarè & exactè sese explicaverint, sed, multorum sententiâ, impedire non potuit; quo minus allegati Patres in sinistram partem non trahantur. Unde à Socinianis & Neo-Arianis excerpitur, qui tamen ab Ignatio Laubruessel Soc. JESU in *abus. Critic.* animosè defenditur. Facilius interim admitteatur, quod de Patribus ante Arianam hæresin orram sensit S. Hieronymus, quod de Filio Dei paulò duriora scripserint, innocenter quædam, & mi-



nus tantè locuti sint. Non poterit quidem Eusebius ab omni prorsus navo purgari, ut vel ipse Caveus plus simplici vice testatus fuit in apolog. Multa quippe ejus scriptis insunt, incantius, dèrius dicta, quæ æquum & candidum non minus ac judiciosum Lectorem expetunt. Qui inficias ire nequaquam poterit insolentes quandoque, & incommodas loquendi formulas, à receptis sanctorum Patrum regulis abhorrentes, quæ neque probare debent nec defendi, repetiri. Veruntamen Eusebium ob hoc Arianum fuisse citati auctores constanter negant.

Ad Secundum Responderetur, quod respondit aliquando S. R. E. Cardinalis Johannes de Turrecremata sui sæculi Theologus spectatissimus *Lib. 2. de Eccles. cap. 93.* in causa Honorii Pontificis à VI. Synodo Generali damnati. Patres quidem illius Concilii VII. damnasse Eusebium: sed ex falsâ informatione, ac proinde in eo judicio errasse. Quantumvis enim Generalis Synodus legitima non possit errare, ut neque hoc VII. erravit in dogmatibus fidei definiendis: tamen errare poterit in quæstionibus de facto particulari. Et si, vel ipso Bellarmino iudice, *Lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 11.* turò dicere possumus Patres VI. Concilii deceptos ex falsis rumoribus, & non satis bene intellectis Honorii Epistolis, immeritò cum hæreticis illum connumerasse; quid obstat dicere Patres VII. Concilii ex sinistra informatione & locis citatis minus bene intellectis deceptos fuisse, & immeritò Eusebium hæreticis adnumerasse. Neque hoc cuiquam absonum videri debet: siquidem in hujusmodi censuris ferendis, nec divina ulla revelatione, nec scripturis, nec traditione, aliisque adimniculis certis; sed humanâ prudentiâ Præsules illi reguntur, ac proinde illa quandoque rescinduntur, revocantur, abrogantur, immutantur, aut temperantur. Quod vel ipsi Sedi Apostolicæ obvenire observat S. Bernardus Epist. 180. ad Innocentium II. scribens;

*Hoc solet habere præcipuum Apostolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod à se forte apprehenderit fraude elicitum. Quantum ad Synodum VII. scribit Valelius in vita Eusebii Præf. Hist. Eccles. Non agebatur de Eusebio fide in illa Synodo: sed de imaginum cultu: ad quem subvertendum, cum adversari paulo ante in urbe regia congregati testimonium ex Eusebio ad Constantiam Epistolam protulissent, eoquo maxime niterentur: Patres VII. Synodi, ad elevandam hujus testimonii auctoritatem, Acclamârunt Eusebium Arianum fuisse. Verum id obiter tantum ex occasione & odio illius Epistola ab eis factum est, non autem datâ operâ, aut causâ prius cognitâ. Quod omnino fieri debuerat, ut de Eusebio fide certum ac legitimum iudicium promeretur. Sed nec tunc quidem illud, omnium opinione, fuisset absque errandi periculo de. Licet enim omnibus orthodoxis agnoscatum in suprema facultate Ecclesiastica definiendi res ad fidem & mores, ad universam Ecclesiam spectantes, residere Anamartisiam: sed nondum ea multorum satis fuit refutata sententia, negantium illam deberi certò supponi in decidendis factis quibuscunque particularibus. Unde infert Vincentius Contensonius, Doctour Theologus in sua *Theol. Mentis & Cordis Lib. 5. Disert. præamb. cap. 2. Qui factis singularibus ab Ecclesia definitis fidem derogat, non continuo hæreticus censendus est: sed ad summum temeritatis accusari potest, si se torrentis totius Ecclesie sine causa opponat... In factis quæstionibus, sensibus, rationi, diligentia humana (Concilium) innititur: qua licet sæpè certa sint, interdum tamen patere deceptioni nemo ambigit, qui scit cogitationes hominum timidâs, & incertas providentias nostras. Idemque Author observat, hujus etiam sententiæ veritate fuisse persuasam sacram Congregationem Cardinalium. Dum enim Gregorius de Laude, edito Neapolis Anno 1660. libro, vellet Joachimum Abbatem ab erro-**



tibus, illi à Concilio Lateranensi assertis, vindicare: & ex Dominico Gravina præmississet, magnum esse discrimen inter jus quæstionis, & factum authoris, ac proinde non intenderet attributas Joachimo sententias contra Concilium defendere: sed ipsum Abbatem ab hac labe purgare; ad examen liberum illum sacra Congregatio vocavit: & rematurè discussa, verba illa authoris, quibus se id intendere professus fuerat, ira mutari præcepit. *Conabimur tamen, si fieri possit, Joachimum defendere.* Ergo ex mente S. Congregationis, etiam post iudicium Concilii, cui interfuerant 1280 Patres, licitum est ob graves rationes, reprobando errores, illos Authores purgare, qui eis inseperti sunt. Quidni & Eusebium?

Ad Tertium Respondetur. Fuit quidem Eusebius Ariani familiaris Episcopis, propter quod traducitur à S. Epiphano, S. Hieronymo, Photio aliisque æmulis suis

*Stimulos dedit, amula virtus  
Nec quemquam jam ferre potest Casar-  
ve priorem  
Pompejusque parem.*

*Lucan. l. 1.*

Nequaquam tamen ipse fuit iis religione, sicut conversatione, conjunctus. Intersuit Congregationi in Palæstina, & assensum suum præbuit Arii postulationi, quatenus sibi, tunc presbytero, in Ecclesia Alexandria cæterum colligere liceret, ut antea, cæterum Episcopo subjectus maneret. Quo fortè Eusebius deceptus, ac nondum impietatis Arianae noticia sufficiente instructus, amore pacis, illum benignius, quam par erat, recepit; in quo tamen contra fidem haud impigit. Associavit se quoque Episcopis Antiochiæ congregatis, quando istius sedis Episcopus injustè fuit depositus: sed non apparet, scribit Du Pin *tom. 2. Bibl.* eum ibidem ulla impotentis animi indicia

dedisse; aut aliorum affectibus servivisse. Si forsitan culpabilis in eo quod interfuerit; multum tamen est laudabilis, quod ipse electus in locum depositi, succedere recusaverit, scripseritque Epistolam ad Imperatorem Constantinum, ne hoc fieret. Quod admiratus Imperator, illi rescripsit, propositum laudans, eumque beatorum vocans, quod non unius civitatis, sed totius Orbis potius dignè decerneretur Episcopus, ut perhibet Socrates *loc. cit. cap. 25.*

Quod si Arius vitum hunc in suas partes aliquando trahere molitus fuit, operam perdidit. Interim ex eo colligitur, quam spectabilis eo tempore fuerit Eusebii autoritas, quam sibi conciliare conabantur, qui tunc fidei dogmata aut genuina aut falsa tractabant.

Si condemnationi S. Athanasii subscripserit, fuit error facti, ut & in Liberio Pontifice Romano notatur; Arii tamen doctrinam non approbavit, qui in Epistola ad suos ostendit vocem CONSUBSTANTIALIS, quam Arius contendebat inauditam, antiquitatis præsidio confirmari; quod non fecisset, si fraudulenta, ut ajunt, manu Symbolo illi, cui hæc vox inserta erat, subscripserit.

Ad Quartum Respondetur, Quod Eusebius Ecclesiasticam finiverit historiam anno proximo ante Concilium Nicænum: ergo hujus meminisse nequivit. Idipsum licet Valerius & Pagius impugnent, qui illam Anno vulgaris æræ 326. præterunt finitam historiam; vel etiam serius scriptam arbiuntur alii; nihil tamen certi de eo concludi poterit, quandoquidem illius Concilii initium variè à variis designetur, ut notat Genebrardus in *Chron.* Quidam enim statuunt ad annum 322. alii, in Eusebii Chronico, ad annum 324. alii ad annum 330. Plerique Græcorum ad annum 333. Bedæ, Volateranus &c. ad annum 338. Nonnulli ad Consulatum Paulini & Juliani, qui fuit septimus aut

V. v

octavus



octavus Constantini Magni. Tanta est annorum Christi incertitudo, quod Veteres per annos Imperatorum numeraverint, non Christi.

In eo interim conveniunt plerique Auctores, quod Historia Ecclesiastica fuerit divulgata ante fata Crispi, idque liquet ex *Libro 10. cap. 9.* ubi Crispi viventis meminit; cumque Chronicon antea composuisset, non potuit mortem Crispi in eo referre, ut quidem indicare visus est Baronius, dum *Annal. ad an. Chr. 324.* scribit Eusebium Constantini facinorum in Chronico meminisse. Nec gravat Eusebium, quod in Chronico, ante decem Historiæ Ecclesiasticæ libros scripto, mentio fiat Concilii Nicæni: ea enim addita inibi per S. Hieronymum, agnoscit ipsemet Valesius: esto libros hos post finem Concilii scriptos velit, quod tamen tanò incertius; quantò majus dubium de ejusdem Concilii duratione. Interea silentium illud (etiam concessio, quod post absolutum Concilium libros complèsser) non favori in Arianos: sed prudentiæ Historici, ob recens vulnus, plurimi adscribere volunt. Immeritò autem tepiditatis, aut tergiversationis eximius hic arguitur Historicus in libris, Constantini vitam complectentibus, quasi non satis exactè de Concilio illo scripserit. Multis siquidem præclare prosequitur de Concilii convocatione, plurimum Episcoporum prudentia, gravitate, populi, undique confluentis, frequentia, Imperatoris industria, læritia, liberalitate, humanitate Patribus exhibita, de quibus videri poterit *Lisb. 3. à Capite 6. usque ad 23.*

Sic Eusebii parastates elevari existimant ea, quibus viri hujus Orthodoxia impugnatur. Hanc ipsi quidem argumentis non incongruis stabilem fatagunt; haud tamen ita evincunt, ut adversantes ad silentium stringant. à quibus.

Ad Primum Respondetur. Familiare est hæreticis, ut fidem calidè manu & ore sinxi-

lent, dum altum errorem in corde premunt: qui pro ratione temporum ad tollendam à se hæresis suspicionem, aut alia de causa: quandoque hoc exterius profitentur; quod postea aperte impugnant, atque priora cum posterioribus ita conciliant inorquendo, invertendo, & obliquè explicando, ut hæresin suam cautè fovere valeant. Hoc prorsim modo Eusebius

*Perf. Sat. 1.*

*Pelliculam veterem retinens & frontis politus:  
Astitam est rapido gestans sub pectore vulpem.*

processisse videtur: qui licet locis citatis bene scripserit de Christo, nequaquam tamen ita sensu ubique; quod ad fidei integritatem omnino necesse erat.

Ante Arii tempora Patres innocente quædam minus cautè locuti sunt, ut citatè rectè observat Hieronymus: verùm dum ejusdem hæresis quaquà versum diffusa incrementum lumeret, magis providè scripserunt; quod, cum Eusebius non observaverit, Patrum imitatione defendi nequit. Quando Pelagiani S. Joannis Chryostomi autoritate abuteremur, iisdem S. Augustinus hæc verbis obiabat. *Vobis non litigantibus securus loquebatur.* Litigantibus ego Arianis non poterat Eusebius ita loqui, ut locutus fuit, nisi fuisset cripto-Arianus.

Ad Secundum Respondetur. Intima illa Eusebii cū Arianis familiaritas indicat tatis, cuius spiritus fuerit. Amicitia enim aut quarunt, aut pares faciunt. Qualis quisque est, talium confortio delectatur, ait S. Hieronymus. In confesso est, Eusebium fuisse ante Concilium Nicænum Arianorum factioni implicatum. Semel autem malus semper præsumitur malus, quoadusque innocentia ejus non innotescat. Trithemius quidem vult ipsum à malo abstractum: sed cum recentior sit idque veterum



rum suffragio non verificet; parum reo patrocinarum poterit. Certè non legitur alicubi quod suam fuerit detestatus hæresin; qui malè assertas propositiones retractare subterfugiens, solum se excusare conatus fuit, scribendo ad Ecclesiam suam, quasi hæreticorum opinionem nunquam tenuisset: sed Synodum in suam *Omniosos* traxisset sententiam, per quam, pacis causa *Omission* subterficeretur.

Atque hujus viri calliditas manifestè deprehenditur in illa eadem Epistola. Postquam enim subsignaverat sententiam Synodi de Consubstantialitate Filii, hanc postea sic interpretatur, quod Filius non sit similis creaturis, quæ per ipsum factæ sunt, & quod perfectum habeat cum Patre, per quem genitus est, substantiam; non verò sit unius cum Patre hypostasis & substantiæ. Ergo Eusebius, esto Arianis non adhæserit contra verba Symboli Nicæni. *Genitus non factus*. Favit tamen iisdem contra verba sequentia. *Consubstantialis Patri*.

Ad Tertium Respondetur. Non est ille in Ecclesia Dei pro indubio Sancto habendus, qui per solemnem apotheosin, aut per communem fidelium consuetudinem, aut saltem expresso Superiorum consensu, à tempore immemorabili, contra contradictionem, non obtinuit venerationem universalem & publicam. Quod si in una alteravè Ecclesia hujus vel illius regionis seu Provinciæ fuerit quis ut Sanctus cultus, vel habitus; quantumque temporis spatium effluerit, si postea deprehendatur in ipsa persona defectus, cum sanctitate minimè conveniens; aut in colentibus error, unde quaque proveniens, meritò ab Ecclesia Catholica, cujus infallibili judicio hic cultus subjacet, corrigitur, dum ad summum illius Tribunal refertur. Quando autem hujuscemodi in veneratione habitus, de schismate, rebellionè, hæresi, aut alio quovis notabili errore fuerit suspectus, tunc solidiora argumenta,

certiora subsidia, atque probabilissima indicia in hoc tribunali requiruntur, quibus cultus personæ respicientia vel poenitentia sufficienter evincitur, ad hoc, ut illa veneratio perseveret & permittatur. Atque hinc frustra censentur laborare omnes illi, qui Eusebio Historiographo sanctitatis titulum inde volunt vindicare; quod post alios indicat Tillemontius, opinatur Solleius, quantumcumque magni faciens Eusebium, Evincit illud ipsam Florentinus in *Dissert. An Eusebius sanctitatis titulo sit exuendus*. Item in alia *Dissert. contra Andream Valesium pro censura S. Hieronymi*. Quando Baronius nomen Eusebii Historiographi expunxit è Martyrologio Romano; id utique, sciente Pontifice Maximo factum; quod cum sigillasset Dupin tom. 2. *Biblioth.* jussu Archi-Episcopi Parisiensis retractavit, quod scripserat, se non posse sine temeritate negare Eusebio *Sancti* titulum.

Cæterum quis in tabulis Ecclesiasticis die 21. Junii Eusebii Cæsareensis loco sit substituendus, operosius inquirere, præter institutum foret. Non erit tamen abs re paucis observasse, quod Baronius suffecerit Eusebium Samosatenu; quem cum aliqui ignorarent, & nomen Samosatenu, ob Pauli Samosatenu hæresin, exhorruissent, Eusebii Historiographi reposuerunt, ut idem Cardinalis in *not. ad 22. Junii* animadvertit. Quo die, quia in Menologio Græcorum *Samosatenus* nominatur Eusebius, credit Solleius, quemadmodum alios plures, etiam hunc Sanctum à proprio, quo apud Græcos est die, ad proximum apud Latinos migrasse, deinde ex ignorantia *Samosatenu* itrepisse apud eos *Cæsareensis*. Verùm quia plurimum differunt situ, & pronuntiatione Episcopatus urbes, id Papebrochio nequaquam videtur habere verisimilitudinis speciem: propendetque in Eusebium *Cappadocem*, qui locus ita in plurimis S. Hieronymi Martyrologiis manuscriptis legitur correctus: quod



quod Florentinius quadam, hanc in rem exercitatione elaboratissima sufficere putavit ad substituendum Eusebium Episcopum *Cæsareensem* in Cappadocia, cui Baronius minus bene afficiebatur ob similitudines cum S. Basilio, qui quæ à Latinis aut Græcis nunquam ut Sanctus cultus, neque in Sanctorum censu unquam locum ullibi sortitus fuit. Hoc tamen non mirum videri debere replicat Solerius, quandoquidem libri illi, nomina Sanctorum referentes, longius à Cappadocia, vix alium usum habuerunt, quam in Patriarchatu Constantinopolitano, qui supremam jurisdictionem Ecclesiasticam in Cappadoces Anno Christi quadringentesimo quinquagesimo primo vigore Decreti in Concilio Generali Chalcedonensi obtinuit. Quamquam etiam videamus Sanctos, quorum nulla in Mæneis Græcorum memoria, inventi adscriptos latinis Fastis, non solum recentioribus, quos Baronius liberaliter locupletavit, novis inde acceptis Sanctis: sed etiam vetustioribus. Equidem irrefragabilis persistit Sancti Hieronymi *Sup. Epist. Paul. in Philip.* doctrina & habetur pariter 11. q. 3. Can. si quis. *Si quis hominem, qui sanctus non est, sanctum esse*

*crediderit, & Dei eum junxerit societati, Christum violat cujus membra sumus... Qui in Christi corpore errat & labitur asserens membrum ejus esse sanctum cum non sit: vel non esse sanctum cum sit: vide quali crimine obnoxius fiat. Esaias enim dicit. Vobis, qui dicunt dulce amarum, amarum dulce; ponentes tenebras in lucem, & lucem in tenebras. Dulce putate esse sanctimoniam; Amarum; quod sanctimonia contrarium.*

